





10  
1897/1b  
1897

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

D O C T R I N A E

D E

VASIS CHYLIFERIS

E T

LYMPHATICIS PRIMORDIA

C O N S E N S U  
FACULTATIS MEDICAE,

U T

GRADUM DOCTORIS MEDICI

LEGITIMO MODO

ACQUIRAT,

DIE XXVI. MAJI MDCCXCVII.

PUBLICE VENTILANDA

EXHIBET

HENRICUS CAROLUS BECKER,

WERNIGERODANUS.

HALAE,

T Y P I S T R A M P I A N I S.

D O C T R I N A E

a

YASIS CHYLLERIS

t

LYMATHICS PRIMORDI

CONSERVATION

ACULTATIS MEDICAE

ut

GRADUM SOCIOPIIS MEDICI



Die XXII. MAI. MDCCCLXII.

URBICE AENTILANDIA

HENRICUS GORELIS BECKIUS



ГАЛАЧ

TATIS TALMATAINE

recet sillon. Tunc etiam stellatae. Sed pumilio  
nullus. Veneris et rotundis capillis. Et non muricato

DOCTRINAE  
DE  
VASIS CHYLIFERIS ET LYMPHATICIS  
PRIMORDIA.

Rerum natura sacra sua non simul tradit.  
Initios nos credimus: in vestibulo ejus haem  
remus. Illa arcana non promiscue, nec omnibus patent. Reducta atque in interiori sacra  
rio abstrusa et recondita, ex quibus aliud pri  
stina aetas, aliud haec, aliud, quae post nos subi  
bit, accipiet. Nec majores nostri occupaverunt,  
nec nostrorum hominum genus totam occupat  
veritatem: multum ex illa etiam posteris  
relinquitur. Qui itaque partem physiologiae  
et historiae naturalis universae absolutam  
credit, is longe alienus est a vera rerum na  
turae indagatione, longe alienus a vero hi  
storiae naturalis fine. Quia veteres sequitur,

A 2 eorum-

eorumque vestigiis inhaeret, nullis recentiorum inventis atque observatis motus; nihil sequitur, nihil unquam invenit, nihil quaerit. Namque, qui ante nos aliqua moverunt, a quibus ipsi didicimus, non domini nostri, sed duces sunt ad recondita magis atque abstrusa naturae adyta recludenda.

Quae quidem sententiae sicut tota artis nostrae historia confirmantur, ita vel maximum acceperint illustrationem a primordiis inventorum anatomorum, praecipue ab initiis atque progressibus doctrinae de vasis chyliferis lymphaticisque. Haec quidem vasa, simulacrum primum observata fuerunt, contrarium roti physiologiae veteri habere usum, atque funditus revertere non solum hepatis antiquitus ipsi consenserunt officium, sed etiam universum systema medicum videbantur. Quid videbantur? Nostra omnia medicinae universa species innovata originem suam inventis vasis chyliferis et lymphaticis debet: quod ex sequenti disputatione uberior patebitur etiam in sensu.

Et ex hoc disquisitionis genere elucet,  
 quoties errare atque a veritate secedere pene  
 necessarium sit ingenio humano, priusquam  
 veritas ipsa inveniatur. Diu jam vasa chyli-  
 fera observata erant, antequam verum pro-  
 gressum eorum et nexus cum systemate san-  
 guifero medici invenerint. Diu ductus tho-  
 racicus inventus erat, priusquam verum  
 usum medici divinaverint, unanimique con-  
 sensu hujus ope confluere ad sanguinis fontem  
 chylum recens paratum crediderint. Praeju-  
 diciis auctoratum veterum irretiti et oc-  
 coecati medici effugia varia sibi paraverunt,  
 quominus luce meridiana clarius patentem  
 veritatem agnoscerent.

Πολλὰ πλανηθῆναι διδύμενον ἔμμεναι  
 ἐσθλόν. I).

Quod primum vero vasa chylifera attinet,  
 medici ante ASPELLIUM fere omnes venis ipsis  
 mesaraicis opus sanguinem conficiendi tribue-  
 runt.

1) Heraclit. apud Clem. Alex. Stromat. lib. V. p. 615.  
 (ed. Sylburg.)

runt. Ita jam ARISTOTELES <sup>2)</sup> mesenterium eo fine creatum fuisse diserte scribit, ut ipsius venae frequentissimae nutrimenti materiem, e qua sanguis paretur, venae cavae et aortae advehant: sanguinem vero nullibi nisi in corde generati. Alia vero doctrina, quae hepar faceret sanguinis officinam, adhuc firmius atque tenacius chylum per vasa mesenterica in venam portae immediate introduxit. Ita enim loquitur BALBUS Stoicus apud CICERONEM <sup>3)</sup>: „Ex intestinis fecretus a reliquo cibo succus is, quo alimur; permaneat ad iecur, per quasdam a medio intestino (*μεσετερία*) usque ad portas iecoris ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent.“ <sup>4)</sup> Uberrime quoque GALENUS doctrinam hanc exposuit, qua chylum per venas mesentericas, paucam quoque copiam per arterias avehi statueret, easque refelleret objectiones, quae in duplice atque sibi contrario venarum officio mesentericarum

2) De part. animal. lib. IV. c. 4. p. 1174. (ed. Pac.)

3) Nat. Deor. lib. II. c. 3.

carum versantur 4). Duplex enim hoc mi-  
nisterium secundum veterum doctrinam com-  
pletebatur resorptionem chyli et adductio-  
nem sanguinis in intestina. Quam quidem  
difficultatem ita **GALENUS** solvere studet, ut  
ad similia duplicita ministeria in aliis partibus  
respiciat, e. g. ad arteriam tracheam, quae  
et pahulum vitae ex aere inhalet et fuligines  
expellat.

Quanquam haec fuerit veterum opinio  
de nutritionis officio, neutiquam tamen  
negandum, quod anatomicorum Alexandri-  
norum studium ipsis vestigia quadam vasa  
chyliferorum, quae aliena sunt a venis  
mesaracis, revelaverit. Etenim **HEROPHILUS**  
egregie distinxit jam vasa lactea, quae in  
glandulosa quedam corpora transeant a venis  
mesaracis aliena, quae in venam portae sanguini-  
mem avehant 5). Ita **ERASISTRATUS**, tempore  
æqualis, in hoedis junioribus vidit vasa me-

fen-

4) Galen, de us. part. lib. IV. c. 2. p. 270. ed. Fraben --  
de facult. natur. lib. III. c. 13. p. 614.

5) Galen, de us. part. lib. IV. p. 417.

fenterij, lacte plena, quae tamen pro arteriis ipsis venditavit, aere alioquin repletis 6). Quid, quod ipse **GALENUS HEROPHILUS** assentiens, haec vasa bene descripsit; neque tamen distincta creditit a vasibus propriis mesenterii 7). Sic etiam anonymous auctor *Isagoges anatomicae* haec vasa cum mesentericis communitat, atque nutritioni inservire docet 8).

Quod lymphatica reliqui corporis vasa veteribus etiam innotuerint, perhibuerunt iam **LINDENIUS** 9), **ALMELOVEENIUS** 10), **HARTMANNUS** 11) aliquie, nuperis iterum temporibus divinavit **PREUS** 12), absque eo tamen argumentorum robore, quod omnia

vincat

6) Id an sanguis in arteriis continetur. p. 223. — Administr. anat. lib. VII. p. 184.

7) Administr. anat. lib. VI. p. 160.

8) Isagog. anat. c. 12. p. 21.

9) Hippocr. de circuit. sangu. exerc. IX. §. 198 f.

10) Inventa nov. antiqu. p. 193.

11) De perit. veter. anat. exerc. III. p. 16.

12) Diff. de interpret. Hippocr. graec. p. 12.

vincat objecta. *Vetusissima enim opinio, undique attrahi humores, non HEROPHILO solum, sed PLISTONICO etiam, PRAXAGORAE, ipsique HIPPOCRATI a Galeno tribuitur* <sup>13)</sup>; neque propria huius usui vasa veteres cognovisse videntur, cum nusquam talia describantur. *Seculo autem decimo sexto cum novo studio physiologia corporis humani agitari coepisset, paullo plura quoque vestigia vasorum lacteorum apparuerunt.* *FALLOPIUS videt vasorum quaedam ab hepatis superficie ad pancreas tendentia, humore flavido referata, quae lymphatica fuisse videntur* <sup>14)</sup>. *EUSTACHIUS in equis detexit canalem thoracicum a subclavia vena versus inferiores partes tendentem, quem, sitne vena sine aliud vasculum, definire non potuit* <sup>15)</sup>.

*Obscuris vero his atque levibus primordiis nova lux affulsa, dum Casparus ASELLIUS Cremonensis, Prof. Ticinenis († 1626.)*

*anatomico disputatione de vasa lacteo-*

<sup>13)</sup> An sanguis natura in arter. contin. p. 220.

<sup>14)</sup> Fallop. observ. p. 395.

<sup>15)</sup> De vena sine pari, p. 280.

lacteorum vasorum originem, progressum atque diversitatem a venis mesentericis studiose et sedulo rimari coepisset: Anno 1622, d. 23. Julii, cum canem bene pastum atque vivum diffecandum sibi sumisset, amicorum quorundam rogatu, quibus recurrentes nervos forte videre placuerat; candidissimos, tenuissimosque funiculos per totum mesenterium discurrentes confpexit, quos primo aspectu nervos esse ratus, non magnopere mirabatur. Sed pertuso majori aliquo funiculo, illico lactis seu tremoris copia non exigua profiluit. Quo viso cum tenere laetitiam non posset, conversus ad eos, qui aderant, ad Alexandrum Tadinum et Senatorem Septalium, *έγενετο*, inquit cum Archimede, et simul ad rei tam insolitae tam jucundum spectaculum invitat. Postea in brutis aliis bene paltis et vivis disiectis hoc experimentum saepius repetit<sup>16)</sup>. Vasa haec docet mox post pastum debere ostendi, cum postea obliterata aegre in conspectum prodeant: hinc

etiam

16) *Apol. de lactibus*, e. g. p. 28, f. (ed. LE. 1640.)

etiam veteribus raro tantum illa innotuisse.  
Oriri vasa in villis intestinorum, ubi velut  
hirudines spongioso capite fugant, valvulis  
esse instructa, ne chylus semel resorbus rela-  
bi possit, progrederi autem ad pancreas, ubi  
contorta vario modo abeant tandem in por-  
tam hepatis (17). Haec quidem *Astellii* opinio  
manifesto docet, vasa haec chylifera eum recte  
vidisse usque ad mesenterii glandulas, quo-  
rum convolutum globum medium vocat pan-  
creas, deinde vero commutasse ultra progre-  
dientia vasa cum lymphaticis, quae ab hepa-  
te orta easdem mesenterii glandulas adeunt.  
Cum opus ipsius ante 1627 non publici juris  
factum fuerit, per quinque annos et quod ex-  
currat, latuit etiam haec inventio.

Anno autem 1626 jam Ticini se vidisse  
haec vasa nova ROLFINKIUS testatur, post  
quoque SULZERGERUM, Prof. Lipsensem  
eadem demonstrasse: neque tamen ipse acu-  
tissimus ROLFINKIUS credidit, peculiaria  
esse

(17) *Ib.* c. 21. p. 68.

esse haec vasa; sed una sanguinem et chyllum  
vehere<sup>(18)</sup>.  
et dicitur, sanguis et chylus in aliis animalibus  
Anno deinde sequenti, postquam ASEL-  
LII opusculum divulgatum fuisse, magnus  
ille philosophus Petr. GASSENDUS, novarum  
rerum in toto scientiarum ambitu studiosus;  
causa fuit, ut, quae' antea in brutis solis  
observata fuerant vasa chylifera in homine  
etiam conspicerentur. Nicolao Claudio Fa-  
bricio de PEIRESC, Senatori Aquilexiensi  
(† 1637.) novam hanc rem inventam nuncia-  
vit Gassendus. Tum ipse PEIRESCIUS<sup>1628</sup>  
procuravit suspensiō damnatum hominem,  
ut egregie paiceretur, et fesquihora post sup-  
plicium, cadaver dissectum vasa peculiaria  
lactea perbelle monstravit<sup>19</sup>.

His non obstantibus GASSENDUS ipse ve-  
nas Acellii nequaquam peculiaria vasa, sed  
nil nisi adipem habuit mesenterii, neque lac-  
teum colorem a chylo fed ab ipso sanguine

<sup>18)</sup> Dissert. anatom. p. 909. 917.

<sup>19)</sup> Gassendi vita Peirescii, in Opp. tom. V. p. 301.  
317.

derivavit. Inanem suam serio opinionem potest protulit, quod ductus choledochus proprius chylidochus appellandus sit, quia chylum ad hepar vehat, revehatque bilem in intestina. Duplex hoc ministerium, quod alio modo Galenus vasis mesaraicis adjudicaverat, noster jam poro choledoco precario tribuit 20).

Cum demum anno 1629 HARVÆI immortale opus de sanguinis circuitu divulgaretur, mirabantur certe plerique medici, ipsi sum vasorum mesaraicorum officium, quod chylum reforbeant simulque sanguinem, defendere. Argumenta ipsius contra Asellii vasa, haec fere sunt:

a. Varia ipsum indoles, varius progressus; in aliis enim animalibus hepar, in aliis portam, in aliis autem thymum adire. Quod argumentum BARTHOLINUS egregie postea ita expendit, ut statueret, vasa omnia chylifera ad ductum Pecquetianum abire, eaque vasa, quae Asellius viderit ad hepar

20) Ej. physic. sect. III. numbr. post, lib. V. c 2. p. 306  
— 348.

migrare, non chylifera esse sed serosa aut lymphatica 21). *Deinde hunc longum intercalatum.* Non omni tempore occurtere: quod ob teneritatem et officium ipsarum, chylum resorbendi ex nutrimentis paratum, aliter contingere nequit. *Alioquin adhuc* *ad eum* *quod* *alioquin*  
*c. Truncu carere: quod falsum.*

*d. Neque idoneae esse capacitatibus.*

*e. Debere chylum alioquin jam in intestinis reperiri, si in his vasis continetur.* Haec argumenta levidensia et inania Harveyus fore octogenarius sufficere adhuc credidit ad evertenda vasa chylifera 22). Tantopere et maxime industrius naturae scrutator praejudiciis occoecatus, qui tot meliora priftinis dogmata protulit; in hoc solo arguimento a veritate non invitus fecessit.

Eodem anno (1629) Simon PAULT, prof. Hafniensis, vasa chylifera publice demonstravit, quorum tamen valvulas in initio nullas invenire potuit 23), immobiliae resistitudo sita

in quodlibet inter se distinguebat. Quod-

21) Bartholin, defens. vener. lactear. p. 193.

22) Bogdan in Bartholin, epist. Cent. II, 62, p. 604.

23) Maurit, Hoffmann diff. p. 103.

Quodsi denique RENAULTII testimonio  
fidere licet, Iac. MENTELIUS, ex Caffello  
Diderici (Château-Thiery), Prof. Parisien-  
sis. († 1671.) iam 1629 ductum thoracicum,  
primus post Eustachium, conspergit, atque  
aliam chyli viam, ac illam per vasa mesarai-  
ca ad venam portarum; inde collegit 24).

Anno deinde 1634. Io. VESLINGIUS,  
Mindanus, Prof. Patavinus (nat. 1598 † 1649.)  
plurimum laborare in his vasis coepit, atque  
ex homine primam iconem paravit 25), et  
deinde retiam ductus thoracici vasorumque  
lymphaticorum inventionem auxit.

Paullo post (1637) Nathanael HIGMO-  
RUS, medicus Shaftesburiensis (nat. 1614.  
† 1684.) vasa lactea non solum manifesto con-  
specta descripsit, sed diversa quoque esse a  
venis mesaracis, quae nil nisi sanguinem re-  
forbeant, evicit 26).

## An

24) Henault clyp. quo tela in Pecquet. cor a le Noble con-  
jecta infring. p. 7. (12. Rothomagi, 1655.) 25) (1651.)

25) Syntagma anat. lib VIII. p. 370. (4. Patav. 1641.)

26) Corp. human. disquis. anat. p. 23-38. (8 Hag. Com.  
1651.)

An Conradus Victor SCHNEIDER (prof. Wittebergenis, nat. 1614 † 1680.) vere iam 1638 non chylifera solum vasa, sed ipsa quoque lymphatica et ductum thoracicum inventerit, ambigendum adhuc. Ipse tamen diserte hoc testatur<sup>27)</sup>. Transire vero chylum quoque in vasa mesaraica ipsa, quae alioquin fanguinem purum vehant, in eodem libro contendit, ideoque dubitationi locus semper relinquitur, videritne vere haec vasa, nec ne. Eodem modo judicaverat Casparus HOFFMANNUS (prof. Altiorinus) et Herm. CONRINGIUS (prof. Helmstadiensis) quorum ille quidem Aristotelis acerrimus defensor, immediate chylum in ramusculos venarum splenicularium et arteriarum mesaraicarum abire, ut hepate intacto, cor adeat, perhibuit<sup>28)</sup>, hic vero eruditissimus et sagacissimus sui temporis medicus, avehi tamen chylum ad venam portarum credidit<sup>29)</sup>.

31. *De sanguine, tumefacto*

27) *De cataracta*, lib. III. p. 329.

28) *Apolog. pro Galeno*, lib. II. c. 131. p. 175.

29) *De sanguinis generat.* p. 81. 123.

Anno 1639 *Caecilius FOLIUS*, medicus Venetus, qui nova quadam sanguinis via e dextro in sinistrum ventriculum detecta glorificabatur, vasa etiam chylifera bene demonstravit, quorum tamen progressum eodem modo indigitavit ac *ASELLIUS*: varia quoque adduxit argumenta, cur haec vasa tam cito obliterentur et evanescant <sup>30)</sup>. Sicut *FOLIUS* ita et *TULPIUS*, celeberrimus Amsteldamensis medicus, eodem anno in homine strangulato vasa vidit chylifera. Et *Thomas BARTHOLINUS*, qui postea magnopere in horum vasorum doctrina inclaruit, hoc anno primum perlungavit vasa lactea, quorum tamen infertionem ad hepar nondum conspicere posse tuit, candidus tunc jam juvenis, qui *ASELLE* <sup>31)</sup> inventori non, more aliorum, caecus obtemperare voluit; nihil nisi quod manifesto viderit, confiteri se posse ratus <sup>31)</sup>.

Anno 1640 *Io. WALAEUS*, sedulus circumscriptus sanguinis scrutator, *ASELLII* dogmata nude

<sup>30)</sup> *Fol.* via sanguinis in Opuscul. anat. fascic. p. 159.  
f (8. LB 1723.)

<sup>31)</sup> *Bartholin.* Cent. I. ep. 2. p. 4.  
B

nude atque sine propria inquisitione protudit; vasa nimurum lactea, aliena omnino a venis mesentericis, abire ad pancreas, et ex hoc denum in hepar et in venam cavam <sup>32)</sup>.

Eodem anno haec vasa quae a pancreate, seu mesenterio ad hepar chylum vehere **ASELLIUS** putaverat, vere retroire, et lympham, neque chylum vehere, luculenter videt Franc. **DE LE BOË SYLVIVS**, qui magna gloria Lugduni Batavorum medicinam profitebatur, novum celeberrimum sistema moliens et condens <sup>33)</sup>.

Cum anno 1641 **BARTHOLINUS** Monspelii degeret, publice defendit vasa **ASELLII**, quae ab omnibus fere ejusdem universitatis doctoribus negabantur <sup>34)</sup>.

**OL. WORMIUS**, prof. Hafniensis, 1643 suspicabatur, ductum pancreaticum novum a **WIRSUNGIO** detectum chylum ex pancreate educere, quam viam **ASELLIUS** intactam reliquerat, quamlibet **omnibus** sibi illam persuaserit <sup>35)</sup>.

Quod

32) Epist. ad Bartholin. p. 86.

33) *Sylv.* diss. med. selest. VI. p. 84.

34) *Barthol.* Cent. I. ep. 9. p. 25.

35) *Ib.* ep. 28. p. 121.

Quod 1643 ductum thoracicum jam *Maurit.* HOFFMANNUS viderit, ambigendum: quodsi etiam eam conspexerit, nequaquam tamen officia ipsius et usus ipsi innotuerunt<sup>36)</sup>: alioquin sanguificationis officium omnibus minime corporis partibus adscriptissit<sup>37).</sup>

## 14.

Tandem nobilissimum illud ingenium *Jo. PECQUETI* Dieppensis 1647 novas chylo vias signavit, quae veriores prioribus egregie ab ipso perfectae sunt, ni duplice ductum thoracicum ab utraque columnae spinalis parte constanter statuerit. Opus autem, in quo inventa sua uberioris illustravit, anno demum 1651 primum in lucem prodiit. Cum *PECQUETUS* anno 1647 Monspelii canem Molofsum vivum dissecaret, intra venam cavam videt lacteum liquorē, quem pus primitus habuit: cum vero omnia sana ceteroquin esse, atque subclaviam venam praecipue latice hoc scatere videret, naturalem esse chylum autemavit. Ipsa quoque foraminula in subclavia vena vidit, per quaē latex hic instillaret, sed

B 2 unde

36) *Haller* bibl. anat. vol. I. p. 416.37) *Barthol.* cent. II. ep. 84. p. 673.

unde veniat, nondum eruere potuit<sup>38)</sup>. Postea in alia sectione, quae hora post pastum insti-  
tuebatur, canalis lacteus in conspectum pro-  
diit, qui utrinque a spina dorsi ad tertiam us-  
que vertebram fursum currens, deinde ad oesophagum  
procedens, venas subclaviae intravit.  
Turgorem vidit in inferiore parte hujus du-  
ctus, dum ligaretur. Rimatus est sedulo chyli  
vias per vasa chylifera, neque ullum vidit he-  
par intrare, sed omnem in receptaculum quod-  
dam prope lumbos, ad capsulas atrabilarias  
confluere, ex quo chylus per canalem tho-  
racicum ascendat et in venam subclaviam ef-  
fluat. Qua quidem saepius repetita observa-  
tione funditus destruxta est tota vetus theoria  
sanguificationis, quae in hepate fiat, atque  
nova detecta est via, qua latex vitalis elab-  
oratur.

Haec itaque nova observatio dignitate  
aequalis Harvæanae fuit, qua circulo fluere  
sanguinem per universum corpus evincebatur.  
Adiecit quidem PECQUETUS hypothesin quam-  
dam, quae posteris temporibus primum con-  
firmari visa, deinde vero infringebatur: ex

38) Pequet experim. nov. nat. c. 2. p. 8. (12. Amst. 1661.)

vicinia nempe receptaculi et capsularum renalium collegit, chyli portionem aliquam immediate transire in venas, unde potus fecessio celerrima per urinam explicari possit. Annexae sunt huic disceptationi epistolaes *Jac. MENTELII*, Petri de *MERCENNE* et Adriani *AUZOTII*, amicorum Pecqueti, quibus inventa ipsius illustrantur et confirmantur.

*Jo. VESLINGIUS* eodem fere temporis momento egregiam partem systematis chyli-  
feri et lymphatici suis observationibus adum-  
bravit et illustravit. Namque 1549, die 18  
Jan. ostendit in publica anatome, spectantibus  
doctoribus *Bevilacqua* et *Gregor. Horstio*,  
vasa lactea mesenterii, et ipsa lymphatica  
vasa in ventriculi sinistra parte, quae tamen  
vasa habuit lacteorum tantum similia 39). Die  
23 ejusdem mensis iterum lacteos sic dictos po-  
ros, seu potius vasa lymphatica bene multa  
vidit e ventriculo in pancreas tendentia 40).  
Die 3 Martii in satellite imperfecto lacteos  
meatus elegantes ad jecur adsurgere vidit cir-

ca

39) *Vesling. observat. et epist. posthum. p. 61.*

40) *Ib. p. 62.*

ca portam, quin et juxta lobum jecoris ad diaphragma repere videbatur. Eodem anno scribit **VESLINGIUS BARTHOLINO**, se, qui **PECQUETI** inventum scire nondum poterat, lacteum canalem thoracicum ad pollicis crastitum d. 13 Maii invenisse 41).

Eodem autem tempore ductus pancreaticus, recens observatus à **WIRSONGIO**, quem **WORMIUS** (§. 13.) jam credebat evehendo chylo infervire, iterum hactenus illustratus atque curatius descriptus est, ut verae excretioni chyli infervire a variis auctoribus credetur. Oltendit **VESLINGIUS** in epistolis ad **Maurit. HOFFMANNUM** et **Jo. Dan. HORSTIUM** datis, se verum usum ductus thoracici atque progressum chyli per vasa lactea ad eundem ignorare. Prostetitur enim ad pancreas, non **Afelli** (quod centrum glandularum mesenterii sit) sed ad verum pancreas (glandularum conglomeratarum congeriem) vasa omnia lactea progredi et in iis adunari, ex hac autem lienem adire, et ductum pancreaticum excretorium forsitan eorum fine creatum esse,

41) *Bartolin. epist. cent. II. 84. p. 672.*

esse, ut superfluum chylum iterum eliminet.<sup>42)</sup>

Eamdem sententiam ita amplexus est **Jac.**  
de **BACK** 43) ut ex intestino jejuno ductum  
hunc pancreaticum adferre pancreati chylum  
statueret, adlatis argumentis, quod intumescat  
ligatus ductus in extrema parte, quae inte-  
stinum spectet, quod succo lacteo saepe scatere  
vitus fuerit. Hanc quoque sententiam in se-  
quentibus editionibus fervavit, defenditque  
contra objectiones ab **HORNIO** et **BARTHOLINO**  
prolatas.

## 16.

Nondum autem eosque erat perfecta **REC-**  
**QUETI** doctrina, ut universum sistema chy-  
liferum inde lucem accipere potuerit. Du-  
bium semper remanebat, quorundam tandem va-  
fa lactea ab **ASELLIO** visa, quae a pancreate,  
sue mensenterio ad hepar transeant, quorundam  
haec pertineant; quae cum viderit **VESLIN-**  
**GIVUS** etiam in ventriculi tunicis exterioribus,  
non veros lacteos ductus eosdem credidit, sed

lacteo-

42) **Verling.** I. c. 61. p. 191. 69. p. 214.

43) **Back.** ac **corde**, c. 3. p. 99.

lacteorum tantum similes. Vasa esse haec lymphatica nemo ante annum 1651 divinare potuit, neque conjectura probabili progressum vasorum eorundum consequi.

*Georg. JOLYFFIUM*, Cantabrigensem Medicum, 1650 jam vasa haec distinxisse a chyliferis, sibique monstrasse testatur *GLISSONIUS* 44); testantur *WHARTONUS* 45), *CHARLETONUS* 46) aliquie. Neque tamen certo innotuit inventum ipsius, priusquam in *Dania* et *Svecia* jam varia eximia observata de vasibus lymphaticis divulgata fuissent,

## 17.

Celeberrimum illud dissidium de prima vasorum lymphaticorum inventore ita meo quidem arbitrio componi potest, ut vidisse quidem ea et antiquitas et inter nuperos *ASELLIUM*, *VESLINGIUM* variosque alios autores credas, qui tamen nec aliena esse haec vasa a chyliferis nec alii usui interfavere, quam ulterius provehendo chylo ex mesenterio ad hepar

44) Anat. hepatis. c. 32. p. 266.

45) Adenograph. c. 15. p. 98.

46) Exercit. oecon. anim. IX. p. 470.

hepar statuerunt: donec vel **BARTHOLINUS**  
vel **Ol. RUDBEKIUS**, vel uterque simul pecu-  
liaria esse haec vasa et proprio usui ad deve-  
hendam lympham dicata demonstravisset.

Quodsi libere, quod sentio, dicere li-  
ceat, **Olaus RUDBEKIUS**, Arosa-Suecus, ado-  
lescens adhuc primus non conspexisse solum,  
sed distinxisse etiam a chyliferis haec vasa vi-  
detur. Namque anno 1651, die 27 Jan. vasa  
lymphatica crassorum intestinorum, distincta  
a chyliferis, manifesto obseruavit, una cum  
glandulis conglobatis. In hepatis superficie  
deinde alios ductus vidit, quos aequae lym-  
pham vehere, diversam ab eo fero, quod in  
aliis vasis serosis contineatur. Urum horum  
vasorum ex statu praeternaturali bene illu-  
strat et in hepate nihil nisi bilem, nullum sal-  
tem sanguinem, separari, evicit. Anno po-  
steriori 1652, mense Aprili, publica anatome,  
coram regina Christina, vasa haec **RUDBE-**  
**KIUS** demonstravit, insertionem praeterea  
eorum in ductum thoracicum, hujusque pro-

gres-

gressum 47). Haec omnia praeslitit, vicefium secundum aetatis annum vix egressus,

Eodem anno (1652), sed mense Maio,

edidit BARTHOLINUS prof. Hafnienis, Hi-  
brum *de lacteis thoracicis* 48) in quo pecu-  
liariter agit de ductu thoracico a se post **PEC-**  
**QUETUM** amplius et uberius illustrato, sum-  
matim tantum vasa lymphatica attingit, quae  
vero non perfecte cognovisse eum ex compa-  
rata ipsius descriptione cum RUDBEKII libro  
elucet. Nunciatum sibi primum ab Erasmo  
fratre Pecqueti inventum narrat; tum se et  
in canibus et in hominibus supplicio dati,  
paullo post mortem observasse hunc ductum,  
cum receptaculo, quod vero in hominibus  
haudquaquam adeo excavatum sit ac **PECQUE-**  
**TUS** perhibeat, sed fistat tantum glandularum  
conglobatarum congeriem: in canibus vero

nomen

47) Nov. exercit. anat. exhibens ductus hepatis aquosos,  
in Mangeti bibl. anat. vol. II. p. 700 — 705. —  
Ej. insidiae struciae aquosis ductibus. Ol. Ruid, a  
Thom. Bartholin. p. 120, 142. (8. 1654.)

48) In Mangeti bibl. anat. vol. II. p. 660 L.

nomen receptaculi magis mereri. Jam tum  
vidit vasa quaedam peculiaria in ipsis capsulis  
atrabilariis, ideoque credidit, ob viciniam re-  
num posse facilem potulentorum transitum in  
urinam explicari. Et ad uteri faciem exter-  
nam apparere vasa lacteorum similia, quae ve-  
nas comitentur, quorum tamen egressus ne-  
quicquam pateat. Lymphatica esse haec vasa  
itaque **BARTHOLINUS** func temporis adhuc  
nescivit. Sic quoque vasa in hepatis superfi-  
cie chyllum vehere credidit, cum hepate adfe-  
ctio nutritio labefiat. Vasa enim propria la-  
ctea nimis esse angusta, quam ut tota chyli  
copia per eadem adscendere possit; hinc vade-  
re omnino portionem quamdam ad hepar.  
Quotus quisque haec legerit, mecum consen-  
tiet, **BARTHOLINUM** 1652 mensē Mayo lym-  
phatica vasa nondum cognovisse, cum Aprili  
ejusdem anni **RUDBEKTUS** eadem jam publice  
demonstrasset.

Cum hoc quidem congruit confessio **BAR-  
THOLINI** in epiftola ad **CONRINGIUM**, me-  
dio anno 1651 scripta, adfentiri se dogmati-  
bus de nova chyli via **CX PECQUETI** invento

derivatis, neque tamen unicam esse hanc viam,  
neque negari omnino posse transitum chyli per  
ductus lacteos ad hepar 49). **CONRINGIUS**  
codem fere tenore respondet, se agnoscere  
Pecquetianam chylificationem, videri tamen  
fibi, quod variis locis misceri debeat chylus  
cum sanguine, neque in vena sola subcla-  
via 50).

Mense Decembri ejusdem anni (1651.)  
**ARNISAEUS** (prof. Helmstadiensis) nunciat  
**BARTHOLINO**, se cum Conringio tandem re-  
ceptaculum Pecquetianum, et ductum thora-  
cicum confexisse et, cum Februario 1652  
**ARNISAEUS** iterum dubia protulisset de vena-  
rum lactearum in hepar transitu, **BARTHOLI-**  
**NUS** respondet, (1652 Apr. 30.) se manifesto  
vidisse vasa lacteorum similia in hepatis super-  
ficie, quae aquosa videantur: nec tamen ali-  
quid se audere propalare priusquam experi-  
mentis plurimis cogitata fuerint confirma-  
ta 51). **BARTHOLINUS** ipse ad annum 1653

usque  
49) *Bartholin.* cent. II. ep. 13. p. 444.  
50) *Ib.* ep. 14. p. 450.  
51) *Ib.* ep. 19. p. 465.

usque hepatis dignitatem et officium in sanguine parando strenue defendit, sicut etiam ex alio loco elucet 52): quam opinionem Gallici medici jamdiu deferuerant, exemplo GIFFARTI, medici Rothomagensis, qui immediate chyllum omnem ad receptaculum Pecquetianum, per ductum thoracicum invenam subclaviam illiqui docuit 53).

Eodem anno 1652 et sequenti, IOANNES HORNIUS, prof. Leidenfis, una cum OL. RUD. BEKIO, juvne, qui Leidam adierat, perfecit Pecqueti inventionem, dum vasa chylifera pleraque in receptaculum chyli confluere docuit, praeterea quoque illustravit progressum chyli ab intestinis ad receptaculum, et ulteriore ejusdem cursu ab imis ductus thoracici ad summa, insulas varias, quas format hic ductus et insertionem in venas vel subclaviae vel axillares 54). Vedit praeterea et iconibus illustravit ductus aquosus aut vasa

52) Anat. reform. lib. I. c 14. p. 90. (ed. LB. 1651.)

53) Giffart disput. de corde, p. 5. (4. Rothomag. 1652.)

54) Horne novus ducus chyliferus, 4. Leid. 1652.

lymphatica circa portani, quae lactea prius  
habita erant. Idem auctor tamen postea in  
*microcosmo* 55) duplēm progressum chyli et  
per vasa chylifera ad hepar et per eadem ad  
receptaculum chyli defendit, quam quidem  
opinionem plerique ejus temporis scriptores  
adsumserunt. Anno 1653, cum vasa lymphati-  
ca jam magis magisque innotassent, HOR-  
NIUS ad BARTHOLINUM scribit, se ob penu-  
riam subiectorum vasa lymphatica amplius et  
uberius illustrare non posse 56).

Anno 1653 magnum defensorem acquisi-  
vit nova doctrina de vasa chyliferis, qui  
acerrimus antea fuerat adversarius, *Vopiscum*  
*Fortunatum PLEMIUM*, prof. Loyaniensem,  
Manifesto enim cum viderit vasa chylifera,  
distincta ab arteriis et venis, mutavit senten-  
tiā, quam antea de chyli attractione per ve-  
nas et ipsas arterias mesenterii imbiberat. Si-  
mul quoque addidit FECQUETI hypothesin,  
potulentorum indolem eam ob rationem tam

55) §. 29. 30. (12. Leid. 1660.)

56) Bartholin, cent. II. ep. 30. p. 496.

cito

cito in urina animadverti, quia proxime receptaculum capsulis atrabilariis adjaceat 57).

*Io. RIOLANUS* vero, coecus *Harvaei* ad-versarius, etiam contra nova haec dogmata indigne militavit. Qui etsi literatus et scriptis anatomicis celebris, ejus tamen mores nec musae, nec aula nec anni emollire potuerunt. In vetularum enim contuberniis educatus videbatur, in quibus rixari, scommatis et sarcasmis certare, bonorumque famam proscindere volupe est. Nec amicis compellationibus, nec errorum demonstrationibus moveri potuit antiquioris ille scholae Parisenis atestigianus, quin procacia dicteria toto horreo effunderet in bene meritos, qui laboribus suis reipublicae literariae prodeffe studebant. Quanquam *ASELLIT* lactea vasa ipse adsumeret 58), indeque pancreas parare chylum et opeductus excretorii effluere eundem crederet; chylum tamen progreedi ad hepar, ad lienem et ad venam portae, ibique in sanguinem ver-

ti

57) *Piemp.* fundam. medic. lib. II. c. 8. p. 143 — 145.

58) *Enchirid.* anatom. c. 19. p. 112. — *Animadv.* in *Walaei epist.* p. 608. *Cirr.* *Med.* *Salon.*

ti statuit. Nova tamen via per ductum thoracicum aequa parum ipsi placuit, ac vasorum lymphaticorum inventum. Contra utrumque levidenia protulit argumenta, quae nonniā malevolum ipsius animum produnt.

Gum eodem tempore RUDBEKIUS et BARTHOLINUS opuscula de vasibus lymphaticis publicassent, invidia BARTHOLINI inspiravit discipulos, Martinum BOGDANUM, MÖINICHENIUM, aliosque, ut partes ipsius contra RUDBEKIUM defenderent. Scriptit BOGDANUS opusculum 59), in quo BARTHOLINUM verum esse primum inventorem lymphaticorum evincere studuit, cui respondit RUDBEKIUS in *infidiis structis*; apparuit denique BOGDANI apologia secunda pro *vasibus lymphaticis* BARTHOLINI 60). Ab utraque parte peccatum fuit, cum etiam RUDBEKIUS indignis armis militaverit, accusato BARTHOLINO, quod inventa ipsius profectori LYSERO potius

59) *Insidiae structae Bartholini vasibus lymph. ab Ol. Rudbekio, 4. Hafn. 1654.*

60) *Apolog. secunda pro vas. lymph. Barth. 12. Hafn. 1654.*

tius sint adscribenda. LYSERO ipſi autem glo-  
riae partem jam tribuerat candidus BARTHÖ-  
LINUS.

Sequebantur brevibus intervallis scripta  
Bartholini haec: *Vasa lymphatica nuper in-  
venta* 1653. — *Dubia anatomica de lacteis  
thoracicis* 1653. — *Defensio vasorum lacteo-  
rum adversus Riolanum* 1655. — *Spicilegia  
eria ex vasis lymphaticis* 1653. 1660. f. — in  
quibus egregie omnino adumbravit ortuim va-  
sorum lymphaticorum, naturam atque indo-  
lēm lymphae, usum ejusdem ad magis fluidum  
sanguinem reddendum.

In Italia quoque novum dogma de chyli  
via per ductum thoracicum, intacto hepate,  
āmicos obtinuit. Edidit Franc. Maria FLO-  
RENTIUS, Lucensis 1653 opusculum *de ge-  
nuino puerorum lacte*, quod plura habet nova  
atque egregia, de vasis lymphaticis, venas  
comitantibus, de glandulis congregatis et via  
chyli nova.

C. Pata-

Patavii vero Dominicus de MARCHETTIS et MOLINETTI, testibus LYSERO 61) et MÖINICHENIO 62), qui tunc temporis ibi degabant, a partibus ASELLII adhuc steterunt. Dominicus enim anno 1654 Lysero monstranti vasa lymphatica negavit ac pernegavit: paullo post vero ipse ea indagaverat, sed motum adsumpsit contrarium a truncis ad ramos. Singularem deinde opinionem MARCHETTIS effinxit: Chylum nimirum ope vasorum membranariorum in hepar transire, in hepate sanguinem elaborari; lympham vero evehī ope vasorum Bartholini et lacteorum Asellii, et cum omnia haec coēant in ductum thoracicum, hunc nil esse nisi vas lymphaticum. Hanc quoque opinionem in *anatomia* postea defendit... Sic MOLINETTI coram MÖINICHENIO 1655 vasa lactea ad hepar progredientia demonstrare nifus est, quae tamen nil nisi nervos fuisse Bartholini discipulus fatetur.

Inter Anglos *Franciscus GLISSONIUS*, professor Cantabrigiensis, magnae perspicacie et

61) *Barthol. cent. II. ep. 39. p. 520.*

62) *Ib. ep. 56. 60. p. 584. 600.*

et sagacitatis ingenium, praeco fedulus fuit novorum vasorum. Contra vim sanguificam hepatis serice multa protulit argumenta, doctrinam de vasis lymphaticis, quae JOLYFFIO tribuit, egregie adumbravit, eaque cum laude in hoc genere laboravit, ut et hoc nomine immortalem se reddideri <sup>63</sup>).

In homine quoque occiso primus vasa lymphatica vidit BARTHOLINUS 1654, Martio mense: et in variis corporis partibus, ut et in capite eadem adesse divinaverit <sup>64</sup>). In cordis superficie detexit eadem vasa Jo. Dan. HORSTIUS <sup>65</sup>): in pulmonum superficie Anglus SCARBOURHTUS <sup>66</sup>).

Hinc itaque medio decennio sexto hujus saeculi penitus exauctorata dignitas hepatis transiit ad cor, tanquam principem corporis partem: epitaphium hepati posuit BARTHOLINUS non sine leporibus ingenioque, quod hic loci adjicere liceat:

C 2 SISTE.

<sup>63</sup>) Gliyeni: anatom. hepatis, 8. Londin. 1654.

<sup>64</sup>) Ej. histor. anatomi, lib. III, 2. p. 6.

<sup>65</sup>) Decas observ. anat. Frib. 1656.

<sup>66</sup>) Bogdan. ad Barthol., cent. II, ep. 77. p. 648.

SISTE. VIATOR.

CLAUDITUR, HOC. TUMULO. QUI  
TUMULAVIT.

PLURIMOS.

HEPAR, NOTUM, SECULIS.

SED.

IGNOTUM, NATURAE.

QUOD, NOMINIS, MAIESTATEM, ET.

DIGNITATIS.

FAMA, FIRMAVIT.

OPINIONE, CONSERVAVIT,

TAMDIU, COXIT.

DONEC CUM, CRUENTO IMPERIO,

SEIPSUM.

DECOXERIT.

ABI, SINE, JECORE, VIATOR;

BILEMQUE, HEPATI, CONCEDERE.

UT, SINE, BILE, BENE,

TIBI COQUAS, ILLI, PRECERIS.

Diu tamen haec ignominia non hepati molesta fuit. Incultus enim et indoctus homo, licet nobilis genere, *Ludovicus BILSIUS*, anatomia incruenta clarus, denio vindicare studuit hepati dignitatem, incitatus eo a medicis Belgicis, qui partes *Bilii* defenderunt non sine gloria solum, sed etiam cum contemtu doctiorum et ingenio clarorum hominum. In anatomie incruenta, quam in vivis corporibus, ligatis arteriis et protruso sanguine a parte ad partem 67), praestitit, *BILSIUS* credidit inveniente vasa mesenterii chylo repleta, qui ad hepar transeat, in quo sanguis paretur. Motum deinde lymphae contrarium illi statuit, qui antea adsumebatur: vehi enim lympham ab insula quadam seu congerie vasorum lymphaticorum in collo ad partes corporis omnes. Hanc opinionem *Nicolaus ZASSIUS*, medicus Roterodamenfis, cupidus arripuit; cumque *BILSIUS* literarum rudis esset, *ZASSIUS* ipsis nomine 1659 epistolicam dissertationem publicavit, in qua verum hepati usum ad parandum sanguinem demonstrare nitebatur. Contra hanc opinionem antiquatam surrexerunt et discipuli Bartholini, et alii anatomiae cultores, qui ridiculo eam exposuerunt: inter quos primos ordines ducunt **HORNIUS**

67) *Stenonis ad Barthol. cent. III. ep. 24. p. 94.*

NIUS 68) et BARBETTIUS 69). Sequebatur  
BILSII polemicus libellus (*Kort berigt van de  
Waarschouwinge van Horne ende op de Aan-  
merk. van Barbette.*, 4. Roterd. 1660.) quem  
ex ZASSII ingenio promaniaffe BARBETTIUS  
testatur 70). Ipse tamen ZASSIUS suo nomine  
quoque dimicavit pro BILSIO. Edidit enim  
libellum, lingua Belgica scriptum 71), in quo  
ehylum ipsum adire hepar, vaporem vero ejus  
subtilem transgredi ad ductum thoracicum et  
ex eo dispergi per totum corpus, statuit.

## 24.

Eodem anno (1660) MÖINICHENIUS, Bar-  
tholini discipulus, adiit Roterodamum, ut a  
BILSIO et methodum, sine sanguinis profusio-  
ne dissecandi corpora et balsamandi eadem  
addisceret et videret demonstrationem pro-  
gressus vaorum lacteorum. Vedit quidem  
condita mira elegancia corpora, sed artem ip-  
sam neutiquam a BILSIO elicere potuit 72).  
Anno sequenti eodem fine Olaus BÖRICHIIUS  
adiit BILSIUM, et vadimonium illi imposuit

ut

68) *Waarschouwinge van alle Liefhebbers der Anatomie,  
tegens de geprisene Wetenschappen van de Bils 1660.*

69) *Aanmerkingen op d'anatom. Schriften van de Bils  
1660.*

70) *Barthol. cent. III. ep. 47. p. 194.*

71) *Den Dauw der Dieren, ende de Wellen des Waters  
etc. 1660. 4.*

72) *Barthol. resp. de experiment. Bils. p. 16. (4. Hafn. 1661.)*

ut Hafniae se sifteret, ad vincendum Bartholimum praesentia et demonstrationibus ipsis. Deseruit tamen Bilsius hoc vadimonium, provocans semper ad DEUSINGIUM, prof. Gröningensem, qui vero nunquam cadaver ipse dissecuerat. Refert deinde BORRICHIIUS, omnino BILSIUM coram se dissecuisse canem vivum, monstrasse quoque vasa lactea ad hepar prorogredientia, quae tamen nil nisi ductus aquosi seu lymphatici sint. Ars cadavera condendi, quam vendere statibus generalibus Brabantiae immenso pretio accepérat vilis homo, jam tunc ab HORNIO aliisque ad perfectionis gradum non vulgarem eyecta fuit 73).

Antonius DEUSINGIUS, vir eruditus sed anatomica experientia rudis, in BILSII partes abiit, *resurrectionem hepatis contra Bartholinum* edidit 1652, in qua vero male defendit partes hujus organi, easque objectiones contra BARTHOLINI ET SLEGELII dogmata protulit, quae ridiculae apparent. Veritas nullis amplius tenebris potuit obnubilari: RUDEKII, BARTHOLINI nomina posteris grata manebunt, cum DEUSINGII ET BILSII obscura nomina oblivioni jamdiu tradita fuerint.

73) *Barthol.*, cent. III. ep. 85. p. 364. ep. 89. p. 385. ep. 91.  
p. 392.

## THESES.

1. In morbo sympathico organon affectum aequem  
morbosum est ac in idiopathico.
2. In haemorrhagiis sistendis remedia glutinosa  
et mucilaginosa adstringentibus fere semper  
sunt praferenda.
3. Contagia permutando solidum vivum agunt.
4. Apoplexiae divisio specialis respectu materiae  
cerebrum comprimentis in serosam et san-  
guineam nullius est emolumen practici.
5. Evacuationes tempore criseos potius effectus  
et signa, quam causae solutionis esse, vi-  
dentur.
6. Pus verum tantum in loco affecto praeparatur,  
sed ejus partes ingredientes ex sanguine se-  
cernuntur.
7. Febris biliosa est species non genus febrium.

Halle, Disc, 1795/1800




Sl.

vel 18



**Farbkarte #13**



**B.I.G.**

DOCTRINA E

DE

VASIS CHYLIFERIS

E T

LYMPHATICIS PRIMORDIA

CONSENSU

FACULTATIS MEDICAE,

U T

GRADUM DOCTORIS MEDICI

LEGITIMO MODO

ACQUIRAT,

DIE XXVI. MAJI MDCCXCVII.

PUBLICE VENTILANDA

EXHIBET

HENRICUS CAROLUS BECKER,

WERNIGERODANUS.

HALAE,

TYPIS TRAMPIANI S.